

IX

IURAMENTUM SEQUIMENTI ET INVESTITURA DE NOVO CIVE

1257 giugno 3, Grosseto

Aringerio e Pietro figli di Marchese, dopo aver prestato il giuramento del popolo del comune di Grosseto, sono investiti della cittadinanza grossetana dal podestà di Grosseto.

Originale ASS, *Diplomatico, Archivio Generale*, 1257 giugno 3 [c. 132].

Regesto, A. CAPPELLI, *Spogli e regesti delle pergamene già esistenti nell'Archivio Comunale di Grosseto, Carte diplomatiche*, in “L’Ombrone. Periodico della Provincia di Grosseto”, anno 1907, n. 17.

In nomine Domini amen. Anno Domini millesimo CCLVII, indictione XV, tertio nonas iunii¹. Aringerius et Pietrus fratres filii Marchesi representatos per dominum Taddeum iudicem et Gualcherinum quondam Pieri representatores novorum civium venientium Grosseti ad habitandum electi et ordinati a domino Bonatacha de Senis secunda vice potestate Grosseti et suo consilio, ut de dicta electione et ordinatione michi Lothario notario et nunc scribe communis Grosseti, constituti per librum consiliorum dicti communis coram dicto domino Bonatacha potestate tacto libro ad sancta Dei evangelia corporaliter iuraverunt precepta dicte potestatis et sui et dicti communis iudicis et omnia et singula servare, que dicta potestas eis facere tenetur ex forma capituli constituti et spetialiter servare per singula iuramentum populi communis Grosseti et ipsum populum sequi, et ab hodie in antea esse cives et assidui habitatores civitatis Grosseti; quare dictos domina Bonatacha potestas ex officio quod gerit pro comuni et universitate Grosseti, recepto dicto iuramento ab eisdem, eos in cives Grosseti recepit et eosdem investivit de omni libertate et franchitia contenta in constituto Grosseti de novis civibus et spetialiter² de libertate et franchitia contenta in privilegio et privilegiis comuni et universitati Grosseti indulto vel indultis a domino Frederico bone memorie olim Romanorum imperatore ut de cetero ipsis privilegiis, franchitiis et libertatibus utantur sicut ceteri homines Grosseti utuntur et gaudent. Actum Grosseti in palatio communis, coram Bonventura quondam Ricci, Ristoro quondam Arrigucii et Tinioso scutifero potestatis. (SN) Ego Lotharius auctoritate imperiali notarius et nunc scribe communis predictis interfui et ut supra legitur rogatus scripsi et publicavi.

¹ iu corretto su n.

² Nella pergamena et spetialiter et spetialiter.